

alio rursus commentario confar-
cit. Atque ita porro progredi-
tur, manifesto verborum &
tautologiae exemplo.

3. Exemplum aliud nos affe-
ramus ex Philosophiae practicae
Universalis Parte I. Cap. I. quod
opus maxime habemus praema-
nibus & excutiendum.

WOLFFIUS (§. 14.) *Voluptates ac tedia sensuum à libera nostra voluntate minime dependent, seu efficere non possumus, ut voluptatem potius ex sensibili percipiamus, quam tedium, quatenus scilicet sensu percipitur.* Voluptates enim sensuum ac tedia eorundem ortum trahunt ex sensationibus (§. 552. 553. *Psycholog. empir.*), consequenter quod tale percipiatur objectum sensibile, quale percipitur. Enimvero in sensationibus suis anima nihil immutare potest (§. 78. *Psycholog. empir.*) consequenter efficere nequit, ut tale non percipiatur, quale percipitur. Quamobrem cum anima libera non sit, nisi quando ex pluribus possibilibus eligit sponte, quod ipsi placet, ad nullum eorum per essentiam determinata (§. 941. *Psycholog. empir.*); in percipiendis voluptatibus ac tediis

sensuum libera non est, consequenter per libertatem animae non intelligitur, cur ex sensibili voluptatem potius, quam tedium percipiat, & contra. Quoniam itaque in libertate animae voluptatis ac tedium sensuum ratio non continetur (§. 56. *Ontol.*); nec voluptas ac tedia sensuum à libera voluntate pendent (§. 851. *Ontol.*) Idem confirmatur à posteriori. Si medicamentum tibi propinatur, in potestate tua positum non est efficere, ut odor ac sapor sit potius gratus, quam molestus, consequenter ut ex eo voluptatem potius quam tedium percipias. Idem experimur de sono. Similiter quando visibile primum contueris, veluti faciem hominis tibi nondum visi, vel imaginem quandam pictam; tui arbitrii non est, utrum placere, an displicere debeat, consequenter num ex eo voluptatem potius, quam tedium percipere malis (§. 542. *Psycholog. empir.*)

COMMENTARIUS WOLFFII. Propositionem hanc instar lemmatis praemittimus, non solum in usum demonstrationis sequentis; sed quod eadem quoque in sequentibus, & suo tempore in Philosophia morali nobis erit opus. Probe autem notandum

dum est, nos sensibilia hic non spectare, nisi quatenus sensu percipiuntur, quemadmodum exigit voluptatis ac tedium sensualis perceptio (§. 552. 555. *Psycholog. empir.*) Neque enim negamus, ut alia de causa voluptati sit, quod quatenus sensu percipitur tedium est: sed tum voluptas illa ortum minime trahit ex sensatione praesente. Et in hoc casu fieri posse, ut voluptas ac molestia, quam percipimus, à libera voluntate nostra dependeat, ultro largimur, & ex iis, quae suo loco demonstrabimus, patebit ratio, cur fiat. In Moralibus magnum momentum in eo situm est, ut accurate à se invicem distinguantur, quae à voluntate nostra libera dependent, ab iis, quae eidem subiecta non sunt, & ubi ab illa pendent, probe perpendatur, quantum ab eadem pendent: quod cum saepissime difficile sit, nisi in Psychologia multum fueris versatus, & singulare quoddam acumen tibi comparaveris; quam necessarium sit studium Psychologicum ad theoriam & praxin moralem accurate tradendam hinc intelligitur.

WOLFFII §. 15. *Appetitiones & averfationes sensitivae, in se spectatae, non sunt actiones liberae, sed*

naturales. Etenim appetitiones sensitivae ex perceptione boni confusa (§. 580. *Psychol. empir.*); averfationes sensitivae ex perceptione mali confusa nascuntur (§. 582. *Psychol. empir.*) Enimvero quamdiu in notione boni confusa acquiescimus, id appetimus, ex quo voluptatem percipimus (§. 591. *Psychol. empir.*), & quamdiu in notione mali confusa acquiescimus, id averfamur, ex quo tedium, sive molestiam percipimus (§. 592. *Psychol. empir.*) Quamobrem cum voluptates ac tedia sensuum à libera nostra voluntate minime dependeant (§. 14.), actio autem libera esse nequeat, sed naturalis sit, quae à libertate animae minime pendet (§. 12.); quin appetitiones & averfationes sensitivae, in se spectatae, actiones liberae non sint, sed naturales, dubitandum non est.

COMMENTARIUS WOLFFII. Bruta quoque habent appetitum & averfationem sensitivam (§. 757. *Psychol. rat.*): hoc tamen non obstante destituuntur voluntate & noluntate libera (§. 763. *Psychol. rat.*) Nemo igitur non agnoscit, quod appetitiones & averfationes ipsorum non sint liberae. Atque ideo in confesso est, appetitiones ac averfati-

fationes fenfivas, in fe fpectatas, liberat non eſſe. Imo unusquisque, modo fibimet attendat, fide experientiae libertatem ab appetitu fenfivo & averfatione fenfiva remonet. Quis enim eſt, qui non in fe ipſo experiat, quamdiu fenſuum iudicio unice ſtatur, fe impediri non poſſe, ne ex cibo, qui bene ſapit, voluptatem percipiat, ac ideo eundem appetat? Abſit autem, ut quis ſibi perſuadeat, appetitum fenſivum & averfationem fenſivam hominem ſubjicere agendi neceſſitati. Gaudet enim voluntate & noluntate libera (§. 942. *Psychol. empir.*), quia anima ratione praedita (§. 528. *Psycholog. rat.*) Neceſſe igitur non eſt, ut ſecundum appetitum fenſivum & averfationem fenſivam agat, ſed agere poteſt, imo agere debet, quemadmodum deinceps evincetur, ſecundum voluntatem & noluntatem liberam, ſeu appetitum & averfationem rationalem. Imo oſtendimus, quomodo in appetitum fenſivum & averfationem fenſivam dominium acquirere, eumque ad conſenſum cum rationali reducere valeamus, ut mala actio non excuſetur, propterea quod ab appetitu fenſivo, vel averfatione fenſiva proſecta &c.

Haecenus Wolffii duo ſoli paragraphi, in quibus quod verum eſt, notum eſt omnibus ſenſu ſano praeditis. Per longum tamen & latum *incipiti argumentatione* demonſtrati ſcilicet ſunt; nullo interim dubio aut objectione remota: Atque ſimili modo per ambages demonſtrat & vorticofis inſuper commentariis auget *undecim* ſequentes proſitiones, quas taedium eſt exſcribere. Sunt autem compendio haec: liberat eſſe ſenſationes, ſi ſitus corporis ad aliquid percipiendum mutatur vel non mutatur idque ex *decreto anima*. Item ſi attentio ad aliquod objectum dirigitur idque ex *decreto anima*. Item ſi oculus ex *decreto anima* dirigitur ad objectum viſibile, & ſic porro.

4. Haec jam ex Wolffio obvia deſcripta qui hic legerit, non negabit D. Wolffio verboſitatem. Poterat enim iſtarum *undecim* proſitionum loco paucis dici: *omnia* ea, quae ex *decreto anima* ſiunt a facultate fenſiva, eſſe libera: huiusque rei reddita ſolida ratione potuiſſent haec proſitiones, tanquam ſub illa univerſali contentae, in exemplum adduci. Ad verboſitatem autem vitandam, & ad facilitatem, abſque qua methodus vitioſa eſt, obti-

obtinendam debuiffent demonſtrationes ſingulorum *particularium* omitti. Siquis enim ſemel comprobavit, *omnes* dies naturales abſolvi viginti quatuor horis, vitium non leve committeret, & tyronem ſuum ſine cauſa fatigaret, ſi id rurfus de prima Januarii, de ſecunda Januarii deque ſingulis aliis inciperet longo proſitionum circulo demonſtrare.

5. Verboſitas non omnis parit difficultatem; eſt, quae etiam delectet, ut quando Oratores argumentum quoddam exquisito verborum apparatu exornant. Hic enim intellectus non omni momento in novas conjicitur difficultates, & novae rei attentionem; ſed uni argumento intentus diverſis illud coloribus vivacius ſemper exprimi, gaudet. At vero in hac Wolffii methodo res olim intellectui certa demonſtranda ſuſcipitur: id quod jam percellit intellectum meticuloſumque reddit, ac certis etiam diffidentem. Deinde ut ad demonſtrationem rei huius ſibi jam certa perveniat, nova ei proſitio offertur, quae longe eſt obſcurior atque incertior quam illa prior. Et propterea ad illam probandam neceſſe iudicavit ipſe Wolffius, intellectum remittere ad aliam

prorſus diſciplinam, & alium librum ex quo probationem repetere poſſit: a quo tamen libro iterum remittetur ad tertium, a tertio ad quartum & forte ad duodecimum uſque: quem cum attigerit, aut nihilo plus quam antea intelligit, aut etiam ad primum iterum remittetur gyro haud parum faſtidii creante.

6. Revera autem ſic accidere in Wolffianis, atque intellectum ob *certam* unam proſitionem cogi ac detrudi ad plures obſcuriores & incertiores perſcrutandas, exemplum a nobis paulo ante excerptum oſtendit. Sumatur paragraphus Wolffii decimus quintus. *Appetitiones fenſivas ſe ſolis non eſſe liberat*, poterat tyroni pro certo eſſe, ſi ſemel Wolffius in §. 1mo vel potius ſuo 12mo rite demonſtraſſet, nihil eſſe liberum, quod non a decreto libero animae manaret: at ſenſationes ſe ſolis ac nude ſpectatas non manare ab animae decreto: ſi enim *cum anima decreto* ſunt junctae velut cum cauſa, jam non ſpectari illas *ſolas ac nudas*.

7. Nihilominus D. Wolffius, ut pretium methodo ſuae ac ſcientiae faciat, obvia haec, non ſine methodi vitio, reſpuit, & intellectum diſcentem in foſſas ſu-

perandas plures involvit; sic enim probationem exorditur. *Appetitiones sensitivæ ex perceptione boni confusa, aversationes sensitivæ ex perceptione mali confusa nascuntur.* Hic ex te quaesierim, mi Tyro, utrum tibi sit perspectus; an sensatio sine decreto libero animæ spectata? An vero perceptio boni aut mali *confusa*? Ipse Wolffius metuit, tyronem responsurum, clarius sibi videri id, quod probandum erat, præ illo *confuso* quod probationem deberet facere. Qua propter D. Wolffius tyronem ex angustiis, in quas eum conjecerat, erepturus, remittit eum ad duos paragraphos longe diversæ scientiæ, nempe *Psychologiæ*, in quibus paragraphis tyro inventurus sit claritatem probationi Wolffianæ deficientem. Verum enimvero in illis paragraphis eadem chorda oberratur, rursusque obscurum hoc probatur per obscurius; atque ad hoc obscurius illustrandum remittitur denuo ad aliam scientiam iterum per obscuriora probandam, ut adeo miser tyro, si ducem hunc presso pede sequi sustinet, vertigine ad ultimum corripiatur.

8. Verum omisso hoc gyro, remissionibus insuperhabitis &

illa perceptione boni *confusa* pro clara interim seu pro cognita accepta, videamus, quomodo pergat D. Wolffius in demonstratione, & quid intellectui rursus devorandum objiciat, ut certa demonstraret: *Quamdiu, inquit, in notione boni confusa acquiescimus, id appetimus, ex quo voluptatem percipimus.* Hoc autem omne, præterquam quod præcedentibus omnibus sit multo obscurius, est etiam falsum, & vel in ipsis terminis, ut scholæ loquuntur, implicat. Appetitio enim est actio, est motus: falsum igitur est, quod *appetamus* tunc, quando *acquiescimus*: appetere non *quiescere* sed *moveri* est. Atque ejusmodi doctrina si à quoquam recipiatur atque incaute forsan, ut est lubrica, ad alia applicetur, parere potest damnatum & irrationabilem illum *Quietismum*. Ut ut res habeat, probationes obscuriores sunt conclusionem, atque adeo *difficile* reddunt studium. Nolo enim in *veritatem* jam inquirere istorum, sed in *obscuritatem & difficultatem* inde sine causa tyroni creatam. Nolo etiam examinare jam, ut hæc argumentatio cohæreat, quamque sit exlegibus dialecticæ adornata. Alius erit hoc præstandi locus, ubi male instructarum demonstrationum
D. Wolf-

D. Wolffium postulabimus infra Capitis 5ti probatione secunda.

Tertia Probatio.
Methodum D. Wolffii
esse DIFFICILEM sumitur ex
nimiis REMISSIONIBUS.

I. **H**as ante laudatus C. P. CONCINA Tomo VI. Theologiæ Christianæ, Dissertat. Prolegomena Cap. VI. Num. IX. his verbis exagitat, quæ mihi licebit exscribere, ut eo libro carentes pervideant docti hujus Itali de Methodo Wolffiana sensum. Ita igitur scribit: “ Ut libere, quod sentio, prodam, Wolffiana methodus suapte natura eo spectat, ut adolescentum cerebrum perturbet, eorumque fibras dirumpat, ut in eorum mentes non scientiam, non eruditionem, sed stultitiam, si vellent sedulo illarum propositionum connexionem comprehendere, inducat. Quod si neges, dicas velim, quanam sit melior tractandæ scientiæ, suadendæque veritatis methodus? Illa procul dubio, quæ *facilius, expeditius, clariusque* in hominum mentes veritatem defert: quemadmodum ea lo-

“ cutio dicitur nobilior, excel-
“ lentior, quæ paucioribus ver-
“ bis, & majori perspicuitate co-
“ gitationes meas alteri commu-
“ nicat. Atqui methodus Wolf-
“ fiana per ambages & circuitus
“ veritatem ad hominum mentes
“ defert. In quinquaginta pro-
“ positiones dividit methodus
“ hæc doctrinam, quæ unicam,
“ & ad summum duabus pro-
“ positionibus plenissime exhau-
“ riri poterat. Sed quod metho-
“ dum illam à *philosophia morali*
“ exterminare debet, est, quod
“ illa lectores suos, ut rotas, in
“ gyrum perpetuum circumagit.
“ Ut probet propositionem tri-
“ gesimam, modo te remittit ad
“ decimam, modo ad quinquage-
“ simam. Illuc pergis, & con-
“ tinuo aliam citationem offen-
“ dis, quæ te mittit ad *Philoso-*
“ *phiam moralem*. Arripis iter,
“ & illuc cum perveneris, quasi
“ latus de invento demonstratio-
“ nis præmissæ arcano, en tibi
“ obviam alia citatio, quæ te re-
“ mittit ad *Logicam*: & hæc te
“ iterum mittit ad *No. Ologiam*:
“ & hæc quoque iterum te in
“ gyrum agit ad *Psychologiam*:
“ & hæc te circumagit ad *Cos-*
“ *mologiam*: hinc revocaris ad
“ *Theologiam naturalem*: & tan-
“ dem aliquando hæc te denuo
“ ad
G 3

“ ad *Jus naturæ* amandat, ut continenter per hunc te rotes circulum. Factum tam evidens & obvium narro, quam obviam & manifesta sunt Wolffii volumina. Vellem ut aliquis eorum, quæ narravi, periculum faceret. Et sane, ut tu ex opere Wolffiano de *Jure naturæ* profectum percipere valeas, opus est, ut omnia fere volumina, quæ edidit, in promptu habeas, eaque in cubiculo *non valde angusto* bene disposita, & modo ad unum accedere, modo inspicere aliud, nunc progredi, nunc regredi, nunc pergere ad ultimum, nunc redire ad primum, à primo ad quartum, à quarto ad secundum volumen. Et en in hoc vitioso atque perridiculo citationum circuitu percurrendo occupatos lectores, temporisque jacturam gravissimam factam.,
Hæc P. Concina.

2. Quodsi Tullius eadem ratione scripsisset præstantes libros de officiis, qui *Jus naturæ*, quale ab ethnico proficisci potest, certe religiosius Wolffiano, continent: si omni propemodum versu ablegaret te jam ad primum Tusculanarum, jam ad Academicas, jam ad libros de naturâ deorum,

ad Fines, ad Leges, ad Universitatem, ad Lœcium, ad Fatum, atque sic porro, idque ad singulos, ut dixi, versus, plerique dicerent, Tullium nimis litteris ad insaniam redactum; omnes certe faterentur à difficillimo hoc sisyphi saxovolvendo fatius esse abstinere.

3. Eandem difficultatem expono à simili Viâ: legitime autem hoc utor simili, cum de methodo ago, quæ utique via est? Si quis te viam, eamque oppido longam sic duceret, ut plurima quidem signa indiciaque, quo tendat unde veniat, per eam disponderet; eadem autem signa hujus essent modi, ut uniuscujusque eorum vim atque finem non satis tuto perciperes, nisi ab eodem ad aliud retro, & ad aliud antrorsum, rursusque ad aliud & aliud & trigies ac centies ad aliud alio locofitum accurreres, idque de novo consuleres, atque cum illo primo conferres, ad quod demum sero aut vix sero redire detur: quis, oro, hanc *viam*, & quis omnino eandem facilem planamque dixerit?

4. Præsentio, quam de me querelam D. Wolffius faciet. Dicet nostrum genus ingratum, qui id, quod

quod Wolffius magno studentium commodo excogitarit, pro incommodo habeamus. Non eruditus & doctus eas remissiones esse designatas, qui, quod rem in paragraphis propositam ad fundum cum omnibus causis suis perspiciant, præterire loca allegata poterunt, ac reliquum iter inoffenso facilique pede decurrere. Ceterum loca ea allegata esse commodo ignorantium ac discere demum volentium. Hi enim, ne ullum passum minus tuto promoveant, ad singulos ipsis posita esse fundamenta, quibus vestigia innituntur.

5. His ego repono, primum, doctos quoque difficultate obrui, non quidem recurrendi ad loca designata, sed alia difficultate longe majore, multoque perniciosiore. Ea est, ut memoriam omnem tot millibus paragraphorum miro modo in se implexorum semper occupatam habeant ferventque. * Quippe nisi omnium locorum, quæ in decursu allegata inveniunt, memoriam habeant, necesse erit recurrendi difficultatem subire: qua si carere volent, cervicem submittent diffi-

cultati majori, nempe tantam forraginem semper recenti memoria continendi. Eam ego difficultatem *perniciosam* dixi, nec injuria: tot enim aliæ restant ad vitam utiliter decoreque instituendam discendæ res, tot negotiis præservandæ sunt tenues multorum incipitis vires, ut charitati ac Juri naturæ repugnet, illud onerare velle tam vasta saburra paragraphorum, qui si ad vitam necessarii essent, usque ad D. Wolffium infelix fuisset mundus instrumento tam insupplebili adhuc destitutus.

6. Tanto autem major est pernicietas optimorum ingeniorum ex ea vasta memoriæ per res leviculas & subtilitate sua obtusas inundatione, quanto constantior est experientia, caput ita serviliter oppressum ad res pro DEO, pro patria, pro usu populari, imo & pro sese egregie gerendas ad consilium præstandum, ad dicendam de fortunis, de capite, de animæ periculo sententiam, ad expediendas rei publicæ difficultates, ad civium inter sese litigia componenda, ad universa denique civitatis officia, unico
ex-

* Hanc difficultatem agnoscit Rothfischer methodi hujus cumprimis peritus vid: in fine Conclusionis hujus Diatribæ.

excepto ludo, in quo consenscit, aliosque pariter corrumpere pergit, plerumque fieri inutile & ineptum. Idem de his dicas, quod de medicis, qui methodo tali implicatoriæ assueti oblato sibi forte morbo inciperent ex data aliqua quacunque de morbo propositione texere demonstrationem imaginariam constantem duodecim circiter aliis propositionibus obscurioribus, ad quas singulas evincendas remitteret ad duo alia loca iterum duodecim propositionibus probanda: à quibus singulis secundo mittat ad duo loca, duodenis rursus propositionibus confuscanda potius quam collustranda. Nempe dum in cerebro profani ejusmodi medici deliberatur ac deliratur, Saguntus perit. Ac profecto sapientissimi medici GALENUS atque CELSUS Methodicam sectam medicorum damnaverunt, ab iisque medicam scientiam omnem corruptam fuisse jam tum conquesti sunt: & hodie quoque auditi archiatros virtute sanandi celebres, qui collato cum ipsis de systemate medico fermone, in systematicos illos nugivendos, acerbè inveherentur.

Neque dubitem ego, si viris in republica versatis negotiorum-

que experientia subactis, ne dicam animarum curandarum peritis offerantur Wolffiana de *Jure natura* ac philosophia practica volumina, illis has *doctas nugas* visum iri, neutiquam proficuas reipublicæ, & ad noxam quandoque proclives si in usum ipsum deducantur.

7. Annon vero nugæ sint hæ, si vel trina tantum, ut numero præcedente dixi, remissio ad loca, eaque tantum bina, fiat. Nugæ, iterum dico, sunt, si ad unam pueris notam propositionem demonstrandam *trecentis* aliis propositionibus velut quodam pelago circumjacteris. Quodsi deinde idem tibi contingat cum omnibus aut sane multis in jure naturæ paragraphis, labor in imensum excrefcens fit penitus insuperabilis. Ponamus enim, in tot voluminibus juris naturæ Wolffiani tantum mille occurrere, ad quorum intelligentiam necesse sit, non *trecentas*, ut modo dixi, alias propositiones adire & investigare, sed solas *centum*; consequitur ad intelligendum Jus naturæ Wolffianum remissum te iri saltem ad *centum millia* propositionum: quas omnes si incredibili cum liberæ animæ tormento enavigaveris, nihilo plus, quam cum è portu solvi-

solvisti, intelligis, ideo quia prima propositio plerumque clarior ceteris fuit. Quin in tot propositionum millibus tantam invenies per singulas addubitandi causam & materiem, ut ad extremum tui quoque ipsius oblitus nullam evadendi viam deprehendas aliam, nisi hanc, ut remissionibus omnibus mittas nuntium. His autem neglectis rursus ad omnem quem promoveris passum offendes & hæsitabis. Ex his denique alterum consequatur oportet; aut, ut Wolffium totum plane abjicias tantorum malorum causam unicam; id quod tibi fuerit oppido salutare: aut vero ut eum obiter legens *videare* tibi tamen intelligere, & methodo tam necessaria instructum ceteros omnes, qui ea non utantur, præ te despicerè posse; id quod pro ea, qua nunc tibi vehementer places, vanitate, maximo te tandem aliquando pudore suffundet.

8. Neu tu de calculis propositionum à me male subductis meis infimules. En tibi compendio ac methodo illos subjicio.

Primi paragraphi sint propositiones - - - - 10.

Prima remissio fiat ad alios paragraphos - - - 10.

Singuli secundi §§. consentent propositionibus decem: *decies* ergo decem sunt - - - - - 100.

Alteram remissio à decem propositionibus fiat ad alios §§. decem; qui consentent rursus singuli propositionibus decem, simul - - - 100.

Tertia remissio tibi dabit iterum paragraphos decem, propositiones - - - - 100.

Summa circa - - 300.

Trecentæ propositiones obscuræ adeundæ ad decem claras intelligendas.

9. Atque hanc demum ego hac ex methodo natam difficultatem dixerim, qua majori nec *infortiatum vetus aut novum*, cum *Codice toto & Novellis & Authenticis*, nec *Gratiani decretum*, & *Decretales cum Extravagantibus & Clementinis* sint referta; de quarum tamen omnium methodi difficultate tantæ personant Jurisconsultorum querulæ voces, Protestantium cum maxime: quamquam ea *Pandectarum &c.* difficultas ex vastitate potius & copia argumenti per sese infiniti proveniat, quam

H

ex

ex methodi nãvo; quippe methodus in omnibus his Juris collectionum libris plerumque admodum commoda est, qua totam rei summam, præcipuaque ejus membra in articulos abeuntia uno licet obtutu emetiri.

Quarta Probatio Difficultatis methodi Wolffianæ, ex ipsa AUCTO- RIS CONFESIONE.

1. **D** Wolffius in Præfatione hujus libri, nempe primæ Partis Philosophiæ practicæ sic habet: "Quod si quis ægre ferat, ex subtilitatibus metaphysicis erui ea, quæ ad ipsius vulgi esse debent palatum, & planiorem desideret viam nemini non calcandam; ei respondemus, quod olim respondebat *Euclides* cum elementa sua edidisset, *Ptolomeo* percontanti, annon planior daretur ad hæc via? Non dari viam regiam ad scientiam. Neque enim hæc vulgo imperito scribuntur; nec iis, qui in moralibus haud altius vulgo sapiunt; sed his, quorum auctoritate & vulgus & qui eodem non altius sapiunt, stare teneantur." Sic auctor Wolffius.

2. Fatetur difficultatem, sed eam non methodo suæ verti vitio petit, imo potius in metaphysicam impingit hanc culpam. Equidem non diffiteor, metaphysicam per sese habere aliquid difficultatis, quacunque methodo pertractetur, ob ipsarum rerum abstractarum subtilitatem: verum eadem difficultas ex bene Constituta methodo multum minuitur, ex implicata vero methodo, qua Metaphysica quoque Wolffiana distenditur, ingens capit incrementum. Neque ego hic docebo, aut probabo, Metaphysicam Wolffianam esse præ ceteris difficilem; satis fit dixisse, eadem illam methodo esse disseminatam, qua cetera.

3. Non metaphysica est, quæ Jus naturæ difficile reddat, sed implexa, inordinata, incerta, verbosa metaphysica. Nam *D. Thomas* cum suis, *Scotus*, *Suarez* aliique metaphysicam ad demonstrandum Jus naturæ adhibuerunt; & quanta in luce ponant res etiam abstrusas, in eorum libris reperies. Neque ea facilitas istorum auctorum atque claritas debetur Metaphysicæ, neque ipsi Juri naturæ, quippe in qua utraque per se permulta sunt difficultia atque obscura; tota vero facilitas transcribenda est methodo istorum Sapientum

piantum, qui, quæ per se intricata sunt, non novis, Wolffii more, ambagibus implicant, sed idonea corporis in membra, membrorum in articulos distributione, & singulorum deinde comprobatione ac vindicatione reddunt comprehensu intellectuque, imo & usu facilia.

4. Quod autem postulat Wolffius, suum Jus naturæ non ad vulgum pertinere, sed ad eos, quorum auctoritate & vulgus & minus alte sapientes stare teneantur, sua suorumque plane vineta cædit. Ex hoc enim consequitur, jus naturæ non sola ratione sed multo magis auctoritate descendum esse fere à toto hominum genere, si centies millies millesimam ejus partem excipias, eam nempe, quæ tam alte sapit. Quin si sapientia ista petenda est ex Wolffii labore, nec centies millies millesima forte hominum pars ex hoc condiscet Naturæ jura. quod facile apparebit & calculum mortalium inveniunt, & Wolffii methodum expendenti.

5. Ceterum qui sint ii, quorum auctoritate stare ceteri teneantur in jure naturæ, nullo indicio prodit *D. Wolffius*. Reges ac Principes ab illo non indicari, persuasum interea habeo. Quippe non

ea illum censeo ambitione, ut speret, nova sua, quæ laudat, inventa Principes ad alia omnia natos ex ipso condiscere velle, qui hæc nova ex antiquis possint condiscere & brevius, & clarius, & facilius, quæ tria maxime in discendo Principes expetunt, contra abhorrent plurimum ab aranearum telis dimetendis. Periculum faciat aliquis juvenum Principum moderator! Ipseque *D. Wolffius* cum dicit, Regiam haud esse ad scientiam viam, subindicare videtur, regibus non esse scriptum opus suum, quemadmodum *Ptolomeo* Regi non erat scriptum opus *Euclidis*, multis tamen passibus Wolffiano præferendum in methodo & claritate.

6. Si regibus haud est scriptum, forte erit scriptum regum administris? Rem magnam sibi pollicetur *D. Wolffius*. Hanc ego eidem laudem ac voluptatem neutiquam invideo. Sed si horum quoque ingenium ac mores, si horum occupationes specto, erunt fortasse paucissimi, qui de tantis spinis carpere rosas volent. Divum Thomam ac ceteros, quamquam centies clariores, plerique fastidiunt, absterriti iis difficultatibus, quæ materiæ ipsi cognatæ

funt nullo ingenio penitus elevandæ. Si foraneos iudices, prætores, & qui conciliis iudicum adfunt, spectro, eos forte non tali numero habebit D. Wolffius, qui ad tam sublimia possint eniti. Hi etiam ipsi, quamquam non teneantur, libenter tamen stant auctoritate aliquot certorum Doctorum in patria magis receptorum; de reliquo æquitatem ex usu multo ac præcipue ex Divinis litteris sibi à puero notam bono cum eventu sequuntur.

7. Universitatum, quas dicunt, Doctoribus, aut aliis privatim doctis tantum juris haud tribuet D. Wolffius, ut eorum auctoritate & vulgus & ceteri minus metaphysice docti stare teneantur. Et si qua talis facultas à D. Wolffio in iis agnoscitur, reliquus omnis fere mundus eidem intercedit. Quid quod hi, maxime doctores Protestantes D. Wolffio enixe refragentur, omnem auctoritatem nedum humanam, sed ipsam etiam divinam à jure naturæ excludentes. Qua de re legi poterunt ea, quæ in *Larva detracta* loco non uno satis diffuse disceptavimus.

8. Supereft, ut aliquam talem auctoritatem asserat aut permittat Ecclesiæ, aut Pastoribus, ac maxi-

me Pontifici summo. Atque Catholicis quidem omnes hanc facultatem in se & in conscientias suas eidem Pontifici lubentes deferunt, non edocti rationibus metaphysicis, neque Jure solo naturæ quacumque methodo etiam scientifica tradito, sed revelatione ac verbis divinis, quibus credunt simpliciter, quamquam non rejecta ratione. Verum omnes, qui extra hanc ecclesiam agunt Christiano nomine gloriantes (ne quid de Turcis ac barbarorum reliquis dicam, aut omnino De Atheis, Deistis reliquoque perditorum numero) auctoritatem tam sublimem suis pastoribus plerumque penitus negant, à quibus D. Wolffium in re tanti momenti discedere velle nondum satis intelligo, optemque clariora eum discessionis suæ indicia edere: quod nisi fiat, videbitur, hæc non ex animo scripsisse, sed suæ tantummodo causæ serviturus.

9. Hocque D. Wolffii edictum si habeat locum, ut vulgus teneatur stare auctoritate majorum in *Jure natura*, atque adeo in conscientia, fide & cultu numinis, conclamatum erit de SPIRITU PRIVATO unico Dominorum Protestantium & qualiumcumque hæreticorum consolatore.

10. Ip-

10. Ipse denique D. Wolffius §. 259. & 261. & alibi passim decernit, legem naturæ non nisi per rationem innotescere: igitur per auctoritatem non potest innotescere: & quomodo tanta humani generis pars in his rebus, quas pro metaphysicis D. Wolffius scribit, id est in *Jure naturæ*, debet stare auctoritate metaphysicorum? Atque si id de ratione sola etiam non diceret palam Wolffius, sequeretur id tamen ex ejus instituto. Verum hæc jam persequi loci hujus non est.

11. In *Larva detracta* egimus de sententia D. Wolffii, qua statuit, legem naturæ ejusque obligationem non pendere à voluntate ullius entis superioris: At enim illi, quorum auctoritate secundum Wolffium stare ceteri tenentur in *Jure naturæ*, sunt entia superiora: Ergo in lege naturæ ceteri non tenentur stare auctoritate istorum, quorum auctoritate tenentur stare. Nimirum foecundas sæpe propositiones edere sese latatur D. Wolffius in præfatione: at mihi sæpe videntur foecundæ contradictionum, nisi eas ad modum reliquorum doctorum exponat, ab affectata demonstratoria methodo non parum recedens.

12. Deinde dictum Euclidis à Wolffio applicatum ad *Jus naturæ*, *Non dari regiam viam ad scientiam*, videtur indicare, Regibus non esse concessum, ut *Juri naturæ* multum intelligendo studeant; quemadmodum Euclides indicare voluit, regi Ptolomæo, cui elementa sua difficilia videbantur, Geometriam semper fore occlusam. At vero Regum præcipuus labor est & omne fere ipsorum proprium officium, *Jus naturæ* exercere, discernere, decidere, aliis administrare. Itaque *Jus hoc* Wolffianum aut erit male instructum; aut si instructum est bene, debet esse regibus pervium; quod cum ex Confessione Wolffii non sit, sequitur, illud male instructum ac traditum esse.

Quinta Probatio

Difficultatis methodi Wolffianæ ex DEFECTU DISTINCTIONIS.

1. Equidem hoc argumentum proprio deinde loco tractabitur, ubi confusam illam methodum ostendemus. Hic tamen pauca dicenda sunt de difficultate ex ea confusione nascente.

H 3

2. Fre-

1. Frequentissime in ore est neotericis DD. Philosophis IDEA CLARA, IDEA DISTINCTA: quarum DISTINCTA ea est, quæ objecti repræsentandi partes extra partes evoivit, seu ab invicem bene fecernit: CLARA autem (tametsi in explicanda hac voce inter se ipsi dissideant) ea tamen fere est, quæ vi multa repræsentandi polleat. Ut ut hoc totum habeat, non est satis ad claritatem distinctionemque sermonis, ut singulæ ideæ, eisque suffectæ singulæ vocolæ claræ sint ac distinctæ: sed multo magis est necesse, ut totus sermo distinctus clarusque sit ad hoc, ut facile eum concipiat qui auscultat.

3. Res hæc dubitationi nulli obnoxia, probatione non eget: exemplum duntaxat edisseram. Orator quispiam seu de sacro argumento seu de profano, sive ad populum verba faciens sive in consilio Principis de re quacunque referens, incipiat dicere unam veritatem ex altera, singulas claras; unam periodum ex altera, singulas itidem claras; fieri tamen potest, ut neque populus, neque concilium senatus, neque princeps hominem intelligat. Nimirum si ita effudit hæc omnia, ut non appareat statim,

quæ pars parti alteri aut toti coherereat; sed eam distributionem auditores ipsi eruere demura ex toto verborum aut paragraphorum flumine debeant. Eam ob rem syllogismus oratorio stylo prolatus intellectu plerumque difficilior est, quam stylo logico didascalico; eo quod tum propositiones tres, tum in ipsis propositionibus termini, seu prædicatum, quod ajunt, & subjectum implexa inter se sunt & tecta in oratorio, aperta, separata & nuda in philosophico syllogismo.

4. Oratores certe exordio bene capto, antequam orationem ipsam aggrediantur, necesse habent, PROPOSITIONEM afferre, hoc est, paucis verbis complecti quid toto orationis decursu sint tractaturi. Adhæc si in ipsa propositione aliqua pars esset etiamnum implexa, dubia, aut interrogationi locum faciens, addunt NARRATIONEM, quæ id ipsum explicet. Nostri certe hodie Oratores Sacri Catholici ad populum dicentes, non contenti Propositionem qualemcumque facere, in ipsa propositione faciunt distributionem, hoc est, dicunt momentumque, quid in qua parte probare contendant. Deinde Rhetorum lex alia est, ut oratione finita

nita PERORATIONEM addant, hoc est anacephalæosi ac per summa capita, facta repetitione paucis atque ordine repræsentent totum orationis textum. Eaque qui negligunt facere (negligunt autem interdum scioli quidam, aut nimium de attentione populi sperantes) laterem fere lavant, & à populo hoc laudis reportant: orator eleganter dixit, sed ego nihil ejus teneo, nec scio quid voluerit?

5. D. Wolffium in hoc opere nihil tale præstitisse, tum res ipsa loquitur, tum paulo post loco proprio ostendam.

6. Neque quis pro Wolffio pugnet, hanc sollicitudinem tantum ad populum pertinere, non ad doctos, eosque, quorum auctoritate vulgus stare tenetur; his enim, ut trito nostrorum proverbio fertur, facile est sermonem facere.

Nam primo hæc responsio præter rem abit: non ego jam quæro. an difficultas Wolffianæ methodi superari à docto aut ab indocto possit? Sed an sit ea methodus difficilis, idque ob distinctionem & claritatem neglectam? At-

que contendo claritatem & distinctionem eidem methodo deesse. Sicut si ego dicam, Hellepontum superare natando esse difficile, & alius mihi responderet, difficile hoc esse pueris tantum, non Leandro illi Ovidiano; non obstante hac responsione verum manebit, Hellepontum communiter natatu difficilem esse.

7. Deinde nego laudabile esse, occupare methodo difficili etiam doctos. Nemo laudavit Cumberlandum, quod difficili sermone explicaverit Jus Naturæ qualemcumque; tametsi superari tandem à pertinaciter studioso ea difficultas possit. Docti plerumque sunt occupati, qui alia inutili ac non necessaria difficultate opprimendi non sunt. Ipsi Protestantes sæpe in Scholasticorum difficultatem & tenebras invehuntur, quamquam falso, cum multi Scholastici sint ipsis faciliores: & siqui sunt multum difficiles, etiam à nostris minori in pretio habentur.

Tametsi vero plura possem producere argumenta, quibus evincerem, Wolffianam tractandi rationem nomen Methodi haud mereri propterea, quod pulcra